

PROPRIA ORDINIS SANCTI BENEDICTI

SACERDOS BENEDICTURUS NUMISMATA SANCTI BENEDICTI, DICIT:

V. Adjutórium nostrum ☩ in nómine Dómini.

R. Qui fecit cælum et terram.



xorcízo vos, numísmata, [*cruces cum numísmatibus et rosaria cum crúcibus numísmata cohibéntibus*] per

Deum ☩ Patrem omnipoténtem, qui fecit cælum et terram, mare et ómnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus

adversárii, omnis exércitus diáboli, et omnis incúrsus, omne phantásma sátanæ, eradicáre et effugáre, ab his numismátibus: ut fiant ómnibus qui eis usúri sunt, salus mentis et córporis: in nómine Pa ☩ tris omnipotentis et Iesu ☩ Christi Fílii eius Dómini nostri et Spíritus ☩ Sancti Parácliti, et in caritáte eiúsdem Dómini nostri Iesu Christi: Qui ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

R. Amen.

V. Kýrie,eléison.

R. Kýrie, eléison.

V. Christe, eléison.

R. Christe, eléison.

V. Kýrie, eléison.

R. Kýrie, eléison.

SACERDOS ORATIONEM DOMINICAM SECRETE USQUE AD VERSUS: „DEBITORIBUS NOSTRIS” DICIT.



ater noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum.

Advéniat Regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.

Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie.

Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris.

V. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
R. Sed líbera nos a malo.
V. Salvos fac servos tuos.
R. Deus meus, sperántes in te.
V. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinís.
R. A fácie inimíci.
V. Dóminus virtútem pópulo suo dabit.
R. Dóminus benedícet pópulum suum in pace.
V. Mitte nobis, Dómine, auxiliúm de sancto.
R. Et de Sion tuére nos.
V. Dómine, exáudi oratiónem meam.
R. Et clamor meus ad te véniat.
V. Dóminus vobíscum.
R. Et cum spírítu tuo.

ORATIO

Orémus.



eus omnípotens, bonórum ómniúm largítor, súpplíces te rogámus, ut per intercessiónem Sancti Benedícti, his sacris numismátibus, lítteris ac caractéribus a te designátis, tuam bene ✠ dictionem infúndas: ut omnes, qui ea

gestáverint ac bonis opéribus inténti fúerint, sanitátem mentis et córporis, et grátiam sanctificatiónis, atque indulgéntias (nobis) concéssas cónsequi mereántur; omnésque diáboli insídias et fraudes, per auxiliúm misericórdiæ tuæ, effúgere váleant, et inconspéctu tuo sancti et immaculáti appáreant. Per Dóminum nóstrum Iesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte eiúsdem Spírítus Sancti Deus per ómnia sáecula saeculórum.

R. Amen.

ORATIO

Orémus.



ómine Jesu Christe, qui voluísti pro totíus mundi redemptióne de Vírgine nasci, circumcídi, a Iudæis reprobári, Iudæ ósculo tradi, vínculis alligári, spinis coronári, clavis perforári, inter Iatrónes crucifígi, láncea vulnerári, et tándem in Cruce mori: per hanc tuam sanctíssimam passiónem

humíliter exóro; ut omnes diabólicas insídias et fraudes expéllas ab eo, qui nomen sanctum tuum, his lítteris ac caractéribus a te designátis, devóte invocáverit, et eum ad salútis portum perdúcere dignéris: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.



ax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris et Fílii ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super numísmata [*crúces cum numismátibus et rosária cum crúribus numísmata cohibéntibus*], et ea (eos) gestantes, et maneat semper.

R. Amen.

DEINDE SACERDOS ASPERGIT NUMISMATA, (CRUCES CUM NUMISMATIBUS ET ROSARIA CUM CRUCIBUS NUMISMATA COHIBENTIBUS).



ius in obitu nostro præsentia muniamur.